

*visionem Jcti Pauli*, ut mollissimè dicam, non intelligo. Negat restituendam Eutyichianam (quanquam id humanissimum,) negat Tertium etiam secundo præponendum, & hætenus rectè. Sed cum negat etiam Secundum Eutyichianæ præponi debere, acumen ejus requiro. Nam quid deniq; decidit, aut quomodo negatis prioribus aliter possibile est? Nam Secundum vult præponi Tertio, & Tertium primo in eadem serie: quo posito Secundum etiam Primo præponi tam est verum, quàm ter tria esse novem. Et si aliter dixeris, secundus post Tertium deiicietur (deiicitur enim post Primum à Paulo, & Primus post Tertium à sententia) & Paulus in hoc ipsum incidit, quod vitat, ut res inter alios judicata alii noceat. Satius autem rem inter alios judicatam alteri prodesse quàm nocere, & cum alterutrum necessarium est; qui in culpa est, eum bis plecti quàm innocentem semel. Nisi pro Paulo sic respondeamus. Creditores in specie l. 16. ff. qui pot. in pignor. possunt dupliciter considerari, primo in simultaneo concursu secundo in hypothecariâ seorsim instituendâ; si posteriori sensu loquitur Paulus, rectè sentit, rem judicatam pro tertio, non profuturam secundo contra primâ quid enim si prima esset in possessione fortè de consensu Tertii post rem judicatam, nunquid non optimè diceretur integro jure contra secundum uti posse, nec quicquam obstante re judicata.

X X X I I I

Sequuntur casus, qui à Doctoribus moventur, & vel communes juri communi & Saxonico simul, vel Saxonico proprii; in Communibus omnibus concurrunt dos & hypotheca, quibus si addas aliam tacitam oritur casus 19. privilegiatam 20. fiscum 21. Igitur in CASU XIX. concurrunt Hypotheca Tacita anterior, A. expressa intermedia B. Dos posterior, C. FUNDAMENTA LOCATIONIS (I) HYPOTHE-

CA